



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 37. Pax inter Hungarus atque Polonos

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcl. XV.
A. C. 1474.

dis diffidiis, quibus Hassiæ Landgravius & Rupertus de Coloniensi Archiepiscopatu contendentes inter se collidebantur, eodemque tempore lites diremit, quæ ex horum æmulatione inter Imperatorem & Burgundiæ Ducem exortæ fuere. Tam gravia negotia Legatum præter expectationem suam diutius in hisce regionibus detinebant: Ast inde eo magis acceptus erat ipsius reditus. Romam delatus in Sanctiore Patrum Senatu a Pontifice hanc in rem convocato de rebus in sua Legatione gestis rationem reddidit, petiitque veniam, quod nec imperio Pontificis, nec Cardinalium expectationi, ut ajebat, plene satisfacisset: Papa, Legati Zelo, ac ejus in Christianam Rempublicam amore plurimum dilaudato, simul cum Cardinalibus eidem gratias verbis valde honorificis egit, eumque in laboris sui præmium Prænestino Episcopatu decoravit, quam Sedem tenuit usque ad annum millesimum quadringentesimum nonagesimum, quo etiam beato sine quievit.

§. XXXVII.

Pax inter Hungaros atque Polonos.

In hisce Regnis potissimum hujus Cardinalis laboribus optatus adspirabat successus; Pax enim Hungariæ inter ac Poloniæ Reges feliciter confecta est.
Hujus

Hujus rei Nuntium Aquilejensis exiguo Sæcul. XV.
 post reditum suum tempore velut gratum A.C. 1474.
 Legationis suæ fructum Romæ accepit.
 Ipse Matthias Rex ad Pontificem ac Prin-
 cipes literas dedit, quibus pacem stabilitam
 significat, simulque gloriatur, quod fun-
 ditus Polonorum & Bohemorum copias Bonfis. 1. 4.
 delere potuisset, nisi Christianum Regem des. 3.
 Christianorum etiam si hostium misereri
 decuisset. Forte summa armorum suorum
 fiducia deceptus, rem verbis nimium ex-
 tulit. Certum nihilominus est, Matthiam
 militari experientia, ac assidua armorum
 exercitatione longe præstantiorem fuisse
 Casimiro Poloniae, & Wladislao Bohe-
 miæ Regibus, quorum posterior adole-
 scens erat, adhuc rerum inexpertus.
 His autem conditionibus pax conclusa
 est: Matthias Moraviam & Silesiam Pro-
 vincias, Wladislaus Bohemiam atque
 Lusatiam possideat, & si alteruter abs-
 que liberis decederet, qui vita superstes
 est, universis potiatur, atque interim
 uterque Regni Bohemiæ titulum gerat.
 Legibus hisce utrinque firmatis Wladis-
 laus Pragam revertitur, ubi Hussitæ in
 eum seditionem conflagrant, atque usque
 eo temeritatis devenerunt, ut ipsum Re-
 gno pellere minarentur. Hujus conjura-
 tionis Matthias in suspicionem quodam-
 modo vocabatur.